



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

50. An licitum sit ali quando in ludo vt fraudibus, simulationibus, artibus, cautelis, quæ ludi legibus permitti solent, vt v. g. embidar con el marco certus, quod non possit amittere, vel quando ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

ripit, quam manum appellant, quia surripit collusoris ius ludendi aptius. Idem est de eo, qui commissione, vel ludo certo ducedit, vel chartas euoluit, aut ostendit, quando id non licet iuxta ludi leges, & causa est aliis ut amittant, aut non lucrentur. In iis enim, ac similibus euentibus non totum lucrum est restituendum, sed quantum collusori valebat spes lucrandi, vel non amittendi, si id factum non fuisset, sicut qui destruit messem non tenetur restituere quantum postea in area redderet, sed quantum in herba aestimaretur.

Sup. hoc infr. in Ref. 54 §. vi. ad med.

Sup. hoc supra in §. sed f. huius Ref. & in alio §. eius not.

5. Nota etiam Hurtadum de coner. disp. 8. diffi. 7. docere in dubio puro absque prudenti iudicio determinato, an quis ob suam fraudem non permissam impedierit alteri collusori lucrum non tenetur ad restitutionem, quia in dubio, melior est conditio possidentis, & ob eandem rationem in puro dubio, an ipse ob suam fraudem non permissam lucratus fuerit aliquid, tenetur illud non accipere, aut iam receptum restituere, quia scilicet, in eo dubio melior est conditio prioris domini, qui illud possidebat.

RESOL. XLVIII.

An si quis ex collusoribus videat chartas alterius, teneatur semper restituere?

Et an hoc ferè dicendum sit de eo, qui chartas dignoscit à tergo, quando eas non signauit?

Et an quando socij contra socios ludunt, possit socius admonere socium de chartis suis, ut sciat quomodo se gerere debeat? Ex p. 7. tr. 9. Ref. 50.

§. 1. **R**espondet Trullench in Decalogo 2. lib. 7. c. 28. dub. 2. n. 4 quod qui videt chartas alterius absque fraude ex sola negligentia alterius, licet lucratur, quia nullam fecit fraudem, secus si videat, quia eo modo se ponit, ut videre possit, vel quia habet alium videntem ludum alterius, qui cum admonet, ut dictum est, nam sic est aperta fraus. Idem etiam docet Sanchez in Opusc. 10. 1. lib. 2. c. 8. dub. 12. n. 9. & alij communiter. Et idem optimè obseruat Lugo de inst. tom. 2. disp. 31. sect. 2. §. 3. n. 37. ferè dicendum esse de eo, qui chartas dignoscit à tergo, quando nec eas signauit, nec propter vitium, quo sapientius iisdem chartis cum aliis, eas facile iam dignoscit. Quando enim uterque æquè potuit chartas dignoscere, licet alter diligentius signa aliqua obseruauerit, hoc eius industria, & attentioni deputandum est: nisi forte ea peritria dignoscendi facile chartas reddat inæquales notabiliter in ludo, iuxta dicenda postea in quarta conditione. Vide etiam Sanchez ubi supra n. 20.

Sup. sequentibus in hac Ref. in Ref. praterit. §. Et hoc. &c.

2. Sed inquiras hic an quando socij contra socios ludunt, possit socius admonere socium de chartis suis, ut sciat quomodo se gerere debeat? Respondetur in hoc standum esse ludi illius peculiaribus legibus: aliquando enim fas est, aliquando non est: aliquando possunt se signis manifestis inuare, aliquando occultis, aliquando neutris. Ita Sanchez ex Alcozerio.

RESOL. XLIX.

An teneatur ad restitutionem, qui auctionem factam à collusore accepit, eo quod ab alio significatione aliqua admonitus fuit?

Et qui admonuit, an peccauerit, & teneatur ad restitutionem in defectum eius quem admonuit?

Et ad quid teneatur, si ante admonitionem dubius erat, an acceptaret?

Et quid, si ante admonitionem decreuerat acceptare? Et p. 7. tr. 9. Ref. 42.

§. 1. **R**espondeo teneri ad restitutionem, si ante admonitionem decreuerat non acceptare; nam uti-

tur fraude alterius admonentis; sicut autem qui admonuit peccauit contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem in defectum illius, quæ admonuit, ita tenetur admonitus. Si verò decreuerat ante admonitionem acceptare, ad nihil tenetur, quia admonitio alterius non fuit causa, ut acceptauerit & vicerit. Si verò ante admonitionem dubius erat, an acceptaret, videtur solum obligandus ad partem: tum quia fieri potest, ut adhuc acceptasset, consequenter non videtur obligandus ad integram restitutionem rei acceptæ, sed solum ad partem, quatenus per admonitionem motus est ad acceptandum: tum quia hoc pacto seruari videtur æqualitas. Et ita docet Sayrus in Clau. Regia lib. 6. c. 12. n. 2. Molina tom. 2. tral. 2. disp. 5. 17. n. 3. quibus etiam adde Trullench in Decalogo tom. 2. lib. 7. c. 27. dub. 2. n. 4. ubi sic ait. Tenetur etiam ad restitutionem ille, qui auctionem factam ab altero collusore accepit, eo quod à tertio inspectore chartarum utriusque colludentis, admonitus fuerit, ut eam acceptaret, si ante admonitionem decreuerat non acceptare; nam vitur fraude alterius admonentis: Sicut enim qui admonuit peccauit contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem in defectum eius, quem admonuit, ita tenetur admonitus. Si verò decreuerat ante admonitionem acceptare, ad nihil tenetur admonens, quia admonitio non fuit causa, ut acceptauerit & vicerit. Quod si ante admonitionem dubius erat, videtur solum obligandus, non ad integram, sed ad partem restitutionis, quatenus per admonitionem motus est ad acceptandum. Et hæc omnia firmat etiam Dicastillus de iustitia, lib. 2. tr. 18. disp. 5. dub. 3. n. 31. Vide etiam Molfesum in sum. 10. 1. tr. 12. c. 2. 1. n. 58.

RESOL. L.

An licitum sit aliquando in ludo vti fraudibus, simulationibus, aribus, & cautelis, quæ ludi legibus permitti solent, ut verbi gratia, Embida conel mazo, certus, quod non possit amittere, vel quando certus de amissione provocando lucratur, altero non admittente, quod Hispanice dicitur embidando de falso, an in his, & similibus teneatur ad aliquam restitutionem? Ex p. 7. tr. 9. Ref. 43.

§. 1. **R**espondeo cum Dicastillo de iustit. lib. 2. tr. 18. disp. 5. dub. 1. n. 9. & aliis. Omnem fraudem vel deceptionem, vel simulationem omnem, quæ ludi legibus permitti solet, licitam esse, & sine iniustitia contractus. Ratio est, quia huiusmodi doli, quos patitur ipsa ludi natura, potius ludendi cautela, & artes ludi dicendæ sunt, in quas eo ipso quod ludentes conueniunt, videntur consentire, & reuerà consentiunt expressè si sciant eas leges esse, vel saltem tacitè; quia cum obstruentur à ludentibus communiter, etiam nescientes communi modo consueto censetur contrahere, nisi aliud exprimat. Et, si quæ leges ex dictis videantur continere inæqualitatem in hoc iactu particulari, ut cum quis in sortem mittit omnem pecuniam, quam habet, certus quod non possit amittere, quod Hispanice aliquando dicitur, ut audio embida con el mazo) tamen æqualitas in eo seruatur quod alter etiam poterit illud ipsam facere, si contingant illæ ex dem chartæ in alio iactu. Unde licet pro illa vice melior sit lucrantis conditio, pro toto tamen tempore ludi æqualis est; quia alteri etiam potest id ipsum contingere, atque idem est de similibus, ut quando quis certus de amissione provocando lucratur, altero non admittente (quod Hispanice dicitur embidando de falso).

2. Quæ verò sint deceptiones in ludo permittæ ab ipsis lusoribus peritis, quarendum est potius, quam ab aliis.

3. Ex dictis infert Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo

Lugo de iust. 2. disp. 31. sect. 2. §. 3. n. 34. posse, Primò, qui potiores chartas habet in ludo, & securus iam est de victoria, posse adhuc augere sponsonem, vt plus lucraretur, quia hæc est lex communis vtrique ludenti. Ita ferè omnes, quos sequuntur & congerunt Sanch. d. lib. 12. n. 1. Salas dub. 7. n. 2. Molina ubi supra. Secundò, qui scit certò, se inferiores chartas habere, atque idè vincendum, potest simulare, & augere sponsonem, vt alter timeat, & recuset, ac relinquat ipsi, quod appositum erat. Tertio sciens, se meliores chartas habere, potest metum simulare, & formidinem, vt aduersarius audacius pronocet, & augeat sponsonem. Quarto potest tacere, licet videat aduersarium accipere plures chartas, quam debet, propter quem excessum debeat postea perdere, quod appositum est. Quintò infert Sanch. in Oppo. 1. lib. 1. c. 8. dub. 12. n. 12. & 13. Quod si habens optimum ludum, simulare dicat, transeat, id est, *vayal el nayge* ad effectum decipiendi socium, vt sic eum incitet ad augendum sponsonem, licitè lucratur. Sextò potest quis numerare pauciora puncta, quam habet, & postquam contractus exhibuerit plura, potest ipse licitè exprimere, quæ habet, & sic lucrari.

4. Et idè Hurtadus de Contractu disp. 8. diffie. 6. sic ait. Non tenetur ad restitutionem lucri, qui certus, quod lucratus est, quia habet priorem locum, & meliorem sortem, v. g. quinquaginta quinque, augeat sponsonem seu expositum (Hispanè *embida*) nec tenetur quamuis fingat, se dubitare, an augeat expositum, vt alter accipiat: nec tenetur, quamuis simulare dicat, transeat, (Hispanè *passè*) vt sic prouocet alterum ad augendum expositum: nec tenetur, qui numerat pauciora puncta, quam habet, vt eo alter antequam sua puncta numeret, augeat expositum, & postea numerat omnia sua puncta, & lucratur: nec qui bona fide accipit sibi primum locum (Hispanè, *la mano*) alteri debitum, quia hæc cautele consuetudine receptæ, vel permittæ sunt à colludentibus. Ita ille.

RESOL. LI.

An si quis videat collusorem non numerare omnia puncta, quæ habet, quæ si numeraret lucrare, no. tenetur, si non admonet, lucrum restituere?
Et notatur non peccare contra iustitiam inspectorem ludi, si non admonet ludentem errare computando puncta, vel non accipiendo primum locum, nisi id promississet, & ita non teneri restituere, licet interdum peccet contra charitatem. Ex p. 7. tr. 9. Resol. 44.

§. 1. Affirmatiuam sententiam tenet Nauarrus, Lopez, & Philarcus penes Sanchez ubi infra, quia accipit ab ignorante pecuniam, quam non amittit. Et ita hanc sententiam docet etiam Azorius 10. 3. lib. 5. c. 25. q. 3. Philarcus de offic. Sacerd. 10. 2. p. 2. lib. 5. c. 2.

2. Sed Sanchez in Opus. 1. lib. 1. c. 8. dub. 14. n. 2. contrariam sententiam docet, quia licet sic ludens teneatur alterum non defraudare, non tamen tenetur alterum de sua negligentia, vel errore admonere; est enim hæc lex ludi. Et confirmatur, quia in aliquo ludo chartarum est in vsu, quod si aliquis est oblitus numerare, vel apponere calculos, si recordetur postquam distributæ sunt chartæ, non possit secundum leges ludi numerare, vel apponere. Hanc sententiam docet Alcozer tract. de ludo, cap. 20. dub. 3. & nouissimè Lugo de iust. tom. 2. disp. 31. sect. 2. §. 3. n. 36. & Hurtadus de Mendoza de Controm. disp. 8. diffie. 7.

3. Verum aliqui asserunt sententiam negatiuam procedere in locis vbi adest consuetudo sic ludendi, secus autem affirmatiuam sententiam tenendam esse. Et idè Lessius lib. 2. c. 26. dub. 2. n. 14. sic asserit: Leges ludi sunt, quas, vel ipsi ludentes communi consensu inter se

Tom. V. I.

statuere, vel si nihil hac de re egerint, quæ eo loco, vel apud eam gentem, cuius more ludere statuerunt, sunt receptæ: nam contractus nisi aliud exprimat, censentur celebrari secundum consuetudinem loci; quamuis fortè alter contrahentium, vel vterque aliquas earum ignoret. Fraudes tamen, seu astutia communi consuetudine receptæ, vel in quas expressè, aut tacitè ludentes consentiunt, sunt licitæ, nec reddunt obnoxium restitutioni: vt si quis aduertens se certò lucraturum, roget aduersarium, velitne deponere duplum; aut si videat errantem in numerandis signis, & non moneat, quisque enim suas tantummodo partes agit, neque tenetur ludenti prodesse, quod per negligentiam non aduertit. Hoc tamen non est vniuersè verum, sed tantum vbi consuetudine id est receptum. Ita Lessius, cui adde Amicum 10. 5. de iust. disp. 28. sect. 4. n. 30. Marchantium in 9. Past. p. 1. c. 8. pr. 10. q. 1. cas. 5. Molinam de iust. tom. 2. tr. 2. disp. 517. in fin. & Trullench in Decal. 10. 2. lib. 7. disp. 27. dub. 4. n. 5. Bonacina verò de Restit. disp. 2. q. 3. punct. 2. n. 2. Supponit adesse consuetudinem non admonendi collusorem de errore in calculis. Et idè Dicastillus de iust. lib. 2. tr. 18. disp. 5. dub. 3. n. 25. sic ait. Asserendum cum, qui aduertit collusorem per errorem numeri, pauciora dicere puncta, quam habet, teneri ad monendum illum, vel ad restituendum pecuniam, si ob id eam accepit. Quod verum est loquendo ex natura rei, & inductione potest probari in omnibus aliis contractibus.

4. In casibus verò in quibus ex lege, & consuetudine solet taceri, tum licitum erit lucrari, abique vlla mentione, atque in hoc casu veram puro sententiam Alcozeri, à qua etiam non videtur dissentire Molinajimò id audio receptum in aliquibus chartarum ludis, in quibus nihil debetur ei, qui obliuiscitur adhibere calculos designatorios lucri ex sua parte, (quod Hispanice dicitur, *oblidarse de poner los tantos antes de partir*) Item in ludo paræ pileæ audio alicubi esse receptum, vt, si quis oblitus dicat se minus habere, quem habet, procedatque in ludo, non plura debere computari illi, quam dixit. Sic Dicastillus. Ego puto omnes supradictas sententias esse probabiles. Et negatiuam sententiam absolute tenet Hurtadus de contr. disp. 8. diffie. 7. vbi sic ait: Collusor non tenetur ex iustitia admonere alterum collusorem errantem in punctis, & ob id perdentem, ac proinde non tenetur ad restitutionem: quia neuter collusorum tenetur agere partes alterius.

5. Nota tamen inspectorem ludi non peccare contra iustitiam, si non admonet ludentem errare computando puncta, vel non capiendo primum locum, nisi id promississet; & ita non teneri restituere, licet interdum peccet contra charitatem. Ita Nauarrus supra & Vega 2. Ludus, casu 19. quod verum est, etiam si teneamus, collusorem peccare contra iustitiam, si de iis non admonet, vt teneantur Nauar. Azor. & Molina supra citati. Et ita docet Salas, & Sanchez ubi supra.

RESOL. LII.

An qui accusauit plura puncta, & collusor non aduertit, teneatur restituere non solum pecuniam acceptam ab altero, sed etiam suam propriam, si alter excedat in punctis?

Et an qui scilicet in ludo soluit minus pretium, quam amittit, teneatur ad restituendum defectum illum, etiam si collusor in aduertentia, vel errore puer totum sibi iam solum?

Et an, qui solus scit se amisisse in ludo, teneatur manifestare veritatem, quando de ea inquiritur, etiam si iudices errore ducti iudicent illum lucratum fuisse. Ex p. 7. tr. 9. Resol. 47.

§. 1. Respondeo affirmatiuè cum Dicast. de iust. lib. 2. tr. 18. disp. 5. dub. 3. n. 22. vbi ait: Si fraus

Sup. hoc infra in Resol. §. 1. cursum ad lin. 8.

Sup. hoc in Resol. seq. & hic